

nominatur. Eundem esse credo Tyrannionem Messenium philosophum, qui (Suidateste) de auspiciis & alia plura utilia scripsit.

X.

XEnocrates Aphrodisiensis homo curiosus & magicæ vanitatis non expers, condidit antiphrasim super diuersis & peregrinis stirpiis nominibus, Galenus.

Eundem esse puto quē Plinius inter Medicos citat lib. 20. & decem sequentibus. Idem alium Ephesium nominat lib. 12. & 13.

LATINI VETERES.

A

AEmilius Macer Veronensis poeta, volucres & herbarum facultates carmine prosecut⁹ est, de quo Ouidius in libro de Tristib.

Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo.

Quæq; nocet serpens, quæ iuuat herba Macer.

Meminit & Plinius Macri, eiusq; testimoniiis vtitur, item Galenus libro 6. pharmacorum. Aemilius Macer (inquit Gyraldus) patriam habuit Veronam, sed diu Romæ versatus est, in poematis suis Nicandrum poetam imitatus, vt scribit Fabius, &c. Huius Macri nomine corruptores quidam & plagiarij, de herbis opuscu-